



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt IV. Quibus & in que Dominium co[m]petat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

Possessor potest armis suam possessionem non solum naturalem, sed etiam civilem tueri, L. 3. de vi & vi armata. & L. 1. C. Vnde vi, & cap. Olim. de restit. spoliatorum. vt si foris rediens, inuenias domum tuam vel agrum ab aliquo iniusto inuatore occupatum, potes illum armis expellere, conuocatis ad id auxilijs necessarijs: seruato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. Ratio est, quia hoc non est inuadere alium, sed suam possessionem tueri. sicut enim non teneor pati vt quis me deiciat à possessione naturali domus vel agri; ita neque à ciuili: deijciatur autem, si non audeo illum expellere. Quintò, Possessor expulsus potest armis suam possessionem repetere, modò id fiat confestim & non ex interuallo, inquit Vlpianus dicta L. 3. vt dum fur rem tuam auferens fugit, dum rediens domum, repulsus es ab iniquo inuatore. Dicitur autem fieri confestim, vel ex continenti, quod fit quamprimum commodè fieri potest, spectata rei difficultate & ceteris circumstantijs; vt si auxilia contrahenda essent. vide Silu. v. Bellum 2. n. 3. Sextò, Si dominus rei expellat iniuste possessorem à possessione, amittit dominium, & applicatur expulso. Si non sit dominus, tenetur reddere possessionem expulso, & insuper æstimationem eius; vt habemus L. Siquis in tantâ. 7. C. Vnde vi.

sed hæc lex, præterquam quòd pœnalis sit, ac proinde non obliget ad hanc restitutionem ante sententiam, non videtur amplius in vsu, vt docet Coar. l. 3. variarum c. 16. num. 7. Septimò, Si is qui amittit possessionem, non expellat occupatorem, sed probet, illum vi, clam, aut precario à se accepisse, adiudicabitur ei possessio, siue ille occupator titulum habeat, siue non. Spoliatus enim ante omnia est restituendus. c. 1. 2. & multis alijs de restit. spoliat. & 3. q. 1. & 7. de vi & vi armata. & 7. quod vi aut clam. & 7. de precario. Si autem nihil horum trium probare potuerit, alter retinebit possessionem. §. Quorum vis. in fine Instit. de Interdictis. Sed agendum erit de proprietate, quod vulgò de petitorio dicitur.

Si res subtracta erat defuncto, qui illam tempore mortis possidebat, adiudicanda est eius possessio heredi, postquam hereditatem adierit. §. Sequens diuisio. Instit. de Interd. L. 1. 7. & C. Quorum bonorum. nec refert vtrum clam subtracta sit, an palam tradita tamquam heredi vel legatario, cum talis non esset. Si tamen possessor statim posset ostendere legitimum titulum, non esset priuandus possessione: vt si res vfucapta sit; vt colligitur ex dict. L. 1. 7. Quorum bonorum. iuncta Glossa.

CAPVT QVARTVM.

Quibus, & in quæ Dominium competat.

Constat xi. Dubit.

DVBITATIO PRIMA.

Utrum soli natura rationali Dominium competat.



RESPONDEO, Soli natura rationali conuenire; scilicet Deo, Angelis, hominibus. Ratio est, quia fundamentum omnis dominij est intellectus & libera voluntas, quæ soli naturæ rationali insunt. Quod probatur, Primò, Quia illud est fundamentum dominij, per quod homo habet potestatem disponendi de rebus: hanc autem habet per intellectum & voluntatem; quia per hæc immediatè habet potestatem in suos actus, & per suos actus in res externas. Secundò, Quia ratio dominij includit potestatem liberam, & ordinationem in aliquem finem: atqui solius rationis & voluntatis est ordinare aliquid liberè in aliquem finem. Tertio, confirm. ex Script. Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, bestijs terræ, &c.* vbi tribuitur homini præfectura & dominium in bestias terræ & pisces maris, ratione imaginis diuinæ, quæ consistit in intellectu & voluntate libera. Vide Franciscum Victoria, relect. de Indis, 1. p. n. 20.

2. Deus quidem summum quoddam, absolutissimum, & prorsus independens in omnes creaturas habet dominium, ratione creationis & conseruationis, per quam tota creatura & secundum substantiam & secundum omnes suas perfectiones est ex ipso, & per ipsum, & in ipsum. Vnde de omnibus liberè disponere potest prout placuerit; nec cuiquam fiet iniuria: seposita tamen ipsius liberali promissione & ordinatione, quæ quamdam

obligationem inducit, non quidem *Justitiæ* propriæ, sed *Fidelitatis*, seu *Veritatis*; quæ virtus passim in Scriptura *Justitia* vocatur. de quo plura 1. 2. q. 114. Cumque sit immutabilis, inducit etiam quamdam necessitatem, ita vt aliter disponere nequeat, quam ordinauit. Hoc dominium Deus neque potest abdicare, neque vlli creaturæ communicare, neque vllam creaturam ab eo eximere: quia titulus eius neque communicari potest, neque ab eo quisquam eximi. Hic enim titulus est creatio & assidua conseruatio causæ supremæ & independentis. Itaque omne dominium quod creaturis communicatur, infinitis partibus est minus; & essentialiter dominio diuino circa vnâquamque rem subordinatum, ab eoque dependens.

Angeli propriè non vidètur habere dominium, nisi suarum actionum. Possunt tamen etiam dici *Angelo-* habere dominium rerum corporalium; quia magnam habent auctoritatem illas administrandi, quæ auctoritas interdum dominium dicitur. Sed hoc dominium non est tale, quale humanum, de quo modò loquimur. Non enim administrant illas vt suas, neque in suum commodum; sed sicut Præfetti Regij provincias & vrbes, Regis nomine. Secus est de dominio Christi hominis, cui omnia dedit Pater in manus, vt sint ipsius. de quo 3. p. quaest. 8.

Hominibus propriè conuenit hoc dominium in res externas: nam his solis res externæ concessæ sunt, vt de illis liberè disponant ad sua commoda: quod maxime verum est de omnibus rebus sub-

sublunaribus. Vnde Psal. 8. dicitur, *Omnia subiecta sunt sub pedibus eius, oves & boves, &c.* Cælestia corpora etsi condita sint ad hominis ministerium; tamen homo non propriè dicitur illorum dominus; quia nihil circa ea potest disponere, vel mutare: commoditatum tamen quæ ab illis percipiuntur, dominus dici potest.

DVBITATIO II.

Vtrum paruuli ante usum rationis habeant verum dominium.

6 **R**Esp. Habere verum dominium, vt patet ad Galat. 4. *Quanto tempore heres paruulus est, nihil differt a seruo, cum sit dominus omnium.* vbi Apostolus illi tribuit verum dominium hereditatis relictæ. Nec refert quòd careat vsu rationis, & libero arbitrio: quia etli ad vsum dominij requiratur vsus rationis; non tamen ad dominium ipsum habituale, quod immediatè fundatur in potentia. quòd autem non possint habere vsum istarum potentiarum, prouenit tantum ab impedimento extrinseco; scilicet ex redundantia humorum in cerebro. Idem dicendum de amenibus. Vide Victoriam relectione de Indis, numero 21. & 22.

DVBITATIO III.

Vtrum filij familias sub patria potestate constituti habeant dominium, & quarum rerum.

Magni refert hæc nosse, vt sciamus de quibus validè absque patris consensu possint disponere.

7 **S**uppono quadruplex genus *peculij* filijfamilias posse competere, *castrense, quasi castrense, aduentitium, profectiuum*: est communis sententia DD. Vide Silu. verbo Peculium. & Nauar. cap. 17. num. 142. *Castrense* dicitur quod in militia, vel occasione militiae partum, vt stipendia militum, & aliorum qui castra sequuntur; prædæ ex hostibus; donatiua ducum, vel commilitonum; testamenta & legata occasione militiae; mobilia, à parentibus, vel alijs data cuncti ad militiam, vel obsequium Principis, vel in illis versanti; item quæ in obsequio Principis in palatio, & quæ in custodia alicuius arcis acquiruntur. Denique omnia luca quæ mediante aliquo contractu ex talibus bonis proueniunt.

Quasi castrense dicitur omne id quod ex beneficio Ecclesiastico acquiritur. Imò quidquid acquiritur post clericatum, etiamsi aliàs esset aduentitium, vt expressè habetur Auth. Presbyteros. 1. C. de Episcopis & Clericis: quod valdè notandum. Item quidquid acquiritur officio publico, non mechanico, vt Iudicis, Aduocati, Tabellionis; vel professione alicuius artis liberalis; & quod datur intuitu talis functionis, vt libri qui dantur à parente vel alio ei qui artem profecturus liberalem; & quod liberalitate Principis. denique quod ab aliquo datur filiofamilias, vt sit tamquam castrense; seu vt ipse tantum, non pater, habeat vsumfructum. vocantur hæc quasi castrensia,

quia habent priuilegium castrensiū, etsi verè castrensia non sint: & quia clerici sunt milites spirituales.

Aduentitium, quod non prouenit à parente, respectu cuius dicitur aduentitium; neque eius causa vel intuitu principaliter datur; (sic enim esset profectiuū) sed successione, vel donatione alio intuitu facta, vel industria propria, vel fortuitò ei obuenit; ita tamen vt non sit castrense, aut quasi castrense: vt si inueniat thesaurum; si lucretur negotiando ex pecunia furtiua, aut mutuo accepta; tunc enim lucrum est peculium aduentitium; si in domo parentis aliquid extra ordinem lucretur, præstitis ordinarijs operis ad quas tenetur; si plus lucretur quàm consumit, & insinuet se cupere lucrum: si non insinuat, censetur id concedere amor parentis. de quo vide infra c. 12. nu. 81. Mortua matre ante patrem, bona materna sunt aduentitia filio respectu patris. Non tamen si pater præmoriatur, eius bona sunt aduentitia filio respectu matris: quia hoc ius oritur ex patria potestate, quam non habet mater in filium. Vide Nauar. & Silu. supra, & Molinam disp. 9. & 232. & L. 4. & 6. C. de bonis quæ lib. in potestate, &c.

Profectiuum est quod prouenit à parente viuo, vel principaliter & proximè eius causa datur; nec est castrense, aut quasi castrense, vt sunt ea quæ à parentibus conceduntur filiis, vt ea administrant; & quæ dantur filio ab alijs ob amicitiam vel obsequium parentum: secus si ob amicitiam, vel obsequium filij. L. 6. C. de bonis quæ lib. & c. & Silu. supra cum Nauar.

His positis, Dico Primò, Filiusfamilias habet plenum dominium in peculio castrensi & quasi castrensi; ita vt tota proprietates, & vsusfructus, & administratio horum bonorū sit penes filium. Ita communiter DD. Vide Nauar. & Silu. supra, sunt enim aperta iura. 7. & C. de Castrensi peculio.

Hinc sequitur Primò, filium de his posse disponere, non secus ac si esset paterfamilias, per donationes vel contractus, imò etiam per testamentum & vltimas voluntates: si tamen sit pubes. i. si expleuerit annum 14. arte enim hoc tempus restari nequit. L. A qua ætate. 5. 7. Qui test. fac. poss. qua de re infra cap. 19. dubit. 4.

Sequitur Secundò, parentem ex his bonis non posse sibi quiddam vsurpare; nisi quantum necessarium ad alimenta filij, cum illum ex suis alit; alioquin tenetur ad restitutionem, si filius velit, quòd si filius non speret futurum vt parens restituat, potest vti occulta compensatione, vel mortuo parente petere à coheredibus: quod est notandum.

Dico Secundò, *Peculij aduentitij* filius est dominus directus, seu proprietarius: non tamen habet vsumfructum, seu vtilitatem, quamdiu est sub patria potestate; exceptis aliquot casibus. Primus est, Si pater filio econdonet vsumfructum. hoc enim non est donare de suis, (quod facere non potest) sed non vsurpare de bonis filij. vnde filius non tenetur hoc conferre in suam legitimam, quando cum fratribus cernet hereditatem paternam. Secundus est, Si aliquid donetur filio, ea lege vt parens vsumfructum non habeat: tunc enim filius habebit etiam vsumfructum: vt Nauar. supra. Tertius, Si aliquid ei donetur patre contradicente. non enim est æquum vt parens ex eo commodum reportet. Quartus, Si vsusfructus alicuius rei filio relictus sit: tunc enim parens nihil habe-

habebit. Ratio est, quia super vsum fructum non potest statui alius vsum fructus. nam vsum fructus est ipsa commoditas & vtilitas rei. vnde dicunt Iurisperiti, *seruitutis non esse seruitutem*. Quintus, Si filius vnâ cum patre succedat in hereditate fratris vel fororis. Vide Silu. verbo Peculium l. q. 3. His adde 6. casum, Si parens fiat hæreticus. nam hoc ipso filius efficitur sui iuris. cap. 2. §. fin. de hæret. in 6. ac proinde redit ad eum vsum fructus, quem pater habebat in bonis aduentitii filij. Simanchas in Cathol. instit. tit. 9. num. 81. His euentis vtilitas pertinet ad filium; sicut bonorum castrensiū & quasi castrensiū; & coalescit vsum fructus cum dominio directo. Spectandæ tamen hæc in re lo-
 11 corum consuetudines & propria Iura. Hinc sequitur, filium de istis extra casus prædictos non posse disponere; quia administratio & vtilitas est penes patrem; potest tamen de istis donare causa mortis, patre consentiente: vt expressè habetur L. Tam is. 2. §. 7. de mortis causa donat. Non tamen de his testari, etiam si pater consentiat, nisi ad pias causas. vt patet ex cap. Licet pater. 4. de sepulturis, in 6. Potest tamen de castrensiibus & quasi castrensiibus absolutè testari, vt ibidem dicitur.

12 Dico Tertio, *Profectiuorum* nullo modo habet dominium; quia dominium directum & vtile est apud parentes: neque filius habet auctoritatem administrandi, nisi in eorum vtilitatem. vnde non potest de his quidquam alienare, vel in suam vtilitatem conuertere absque consensu parentis, respectu cuius profectiuum dicitur; alioquin furtum committit. Hinc fit vt ob crimen filij hæc bona non possint sicco addici.

DYBITATIO IV.

Utrum serui habeant dominium aliquarum rerum.

13 **R**espondeo & Dico Primo, Seruos non videri habere aliquod dominium omnino perfectum & independens à potestate dominorum. Probatur Primo, quia Iura expressè dicunt, *seruos quid acquirunt quauis causa, vel occasione, dominis acquirere, vt patet Instit. Per quas personas cuique acquir. §. Item nobis. & L. Id vestimentum. 2. §. 7. de peculio. vbi dicitur, seruum nec esse dominum vestimenti quotidiani; quia qui ab alio possidetur, nihil possidere potest.*

Seruum dominium non est in- dependens.

Secundo, quia Innoc. IV. in c. Cum olim. 2. De privilegiis, dicit *seruum & Monachum in eo esse pares, quod neuter alicuius rei dominium habeat.* quam sententiam Nauar. de Redd. q. 1. monito 10. in praxi & theoria receptam ait.

Tertio, quia si seruus secundum se totum quidquid est domini est, multo magis ea quæ habet domini sunt; accessorium enim sequitur suum principale.

14 Hinc sequitur, Dominum non facere iniuriam propriè, si seruo res suas adimat; sicut faceret si ab alio acciperet: quia Ius omnia serui subiecit potestati domini. peccaret tamen dominus, si id quod concessit ei vt proprium, de quo pro arbitrio suo posset disponere, absque iusta causa auferret. id enim, præterquam quod sit inhumanum, est etiam contra fidem tacitè ei datam, nam dum sic conce-

dit, concedit absolutè & in perpetuum, tacitèque promittit non reuocare.

Dico Secundo, Possunt tamen serui habere aliquarum rerum dominium imperfectum, ita vt eas non teneantur dominis suis tradere; quamuis domini absque iniustitia possint illos priuare.

Probatur Primo, quia etsi Iura concesserint dominis potestatem res seruorum sibi vsurpandi; non tamen idcirco fecerunt seruos incapaces omnis iuris & dominij, instar Religiosorum; nempe vt non possint ea quæ acquirunt occultare, & teneantur ea dominis exhibere. imò credibile est id non potuisse facere: tum quia nulla causa legitima suberat; (vnde ob nullum delictum talis incapacitas hætenus est inflicta) tum quia non est consentaneum humanæ imbecillitati, vt tale onus imponatur inuito: esset enim nimis magna occasio peccandi. Secundo, quia serui possunt seipso redimere. vt patet L. Vix. 53. de iudiciis. vbi seruis datur actio contra dominos, si dicant se suis nummis redemptos, & non manumissos contra placiti fidem. Casus autem præcipui, in quibus potest seruis aliquod dominium comparare, videntur esse isti.

Lex non potest seruos ita reddere incapaces vt sunt profecti.

1. Si dominus expressè vel tacitè consentiat vt possit aliquod peculium habere.

2. Si seruo aliquid donetur, vel legetur ea conditione vt ad dominum non perueniat: tunc enim si dominus vsurparet, hoc ipso amitteretur.

3. Si relinquatur seruo absolutè & sine conditione, non tamen intuitu domini, v. g. ob industriam, vel officium exhibitum: hoc enim videtur dari vt non sit domini, sed tantum serui.

4. Si ei aliquid detur in compensationem iniuriæ illatæ. compensatio enim fit vt ex ea solatium capiat, loco doloris quem passus est; non vt dominus eius inde discescat. vnde contra omnem humanitatem esset hoc ei auferre.

5. Si aliquid lucretur sua pecunia: sicut si filius lucretur peculio castrensi vel quasi castrensi. lucrum enim subit eandem rationem quam fors, quando quis nomine suo eam exponit.

6. Si aliquid sibi subtrahat sine domini incommodo, quod liberè poterat consumere vel expendere; aut præter opera præscripta quædam alia faciat ex quibus quæstum colligat.

Ex his patet, multum interesse inter Monachos & seruos quoad dominij rationem. etsi enim in eo conueniant quòd neutri habeant dominium omnino perfectum; tamen Monachi nullum omnino in particulari habent, vt statim dicemus, & præterea sunt omnino incapaces; serui verò sunt capaces, & præterea habent aliquod dominium imperfectum, ratione cuius possunt sua auctoritate rebus suis vti & frui, easque alienare absque domini consensu. & quamuis potestati domini aliquo modo subiectum sit, esset tamen inhumanitas & abusus quædam herilis auctoritatis, si hac potestate dominus vteretur. Vide Nauar. de Redditibus, q. 1. monito 10. & 11. & Petrum Nauar. l. 3. de Restit. c. 1. num. 217.

Quibus euentis seruus sibi acquirit.

Discrimen inter dominium omnino perfectum & Monachi.

Notandum tamen est, multos DD. concedere seruis verum & perfectum dominium in ple-
 15 risque casibus supra dictis; eisque fieri veram iniuriam obligantem ad restitutionem, si dominus res ipsis concessas auferat. Iura autem, quæ tradunt, seruos, quidquid acquirunt, domino acquirere, intelligenda regulariter. Ita Molina
 C 4 Disput.

Sententia mistior.

Disput. 38. Posset etiam addi, iura illa consuetudine esse mitigata: & hoc malim in praxi. Itaque posset seruis ut occultata compensatione, si dominus ei res suas abstulisset.

DUBITATIO V.

Utrum Religiosi habeant aliquarum rerum dominium.

18
Sententia
Nauarri.

NAuarrus commentario 2. de Regularibus, num. 3. 34. & alibi, docet, ne ipsis quidem congregationibus Religiosorum, quæ possunt habere redditus & bona immobilia in communi, competere dominium propriè talium bonorum; sed solum administrationem: dominium autem consistere apud solum Christum Dominum. Idem docet de omnibus Clericis respectu bonorum Ecclesiasticorum, in Apolog. q. 1. monito 24. & seqq. In eadem sententia est Maior in 4. d. 24. quæst. 6. Ratio præcipua est, quia hæc bona passim in Iure vocantur *patrimonium Christi*. Sed contraria sententia est communis DD. pro qua

19 Dico Primò, Religiosi professi possunt in communi habere dominium bonorum temporalium, ita ut ipsa congregatio vero dominio illa possideat.

Conuentus
Religiosorum
habet
dominium

Probatur Primò ex Concil. Trid. sess. 25. c. 3. de Regularibus, ubi conceditur omnibus Monasteriis & domibus tam virorum quam mulierum etiam mendicantium, exceptis Franciscanis, (nempe Capucinis & Minoribus de Observantia) ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat. atqui non propriè dicitur possessor, qui solum habet administrationem, sed qui dominium.

Secundò, Quia Nicolaus III. Extrauag. Exijt, docet, dominium rerum quibus Franciscani viuunt, ad Papam pertinere, non autem ad eorum congregationem; ubi insinuat, in aliis Religionibus, quibus licet habere bona in communi, dominium pertinere ad ipsas congregationes.

Respondet Nauar. comm. 2. nu. 3. per dominium ibi intelligi *Ius administrandi*.

Contra, Quia Sedes Apostolica plus iuris in illa bona, quam sit Ius administrandi, habere videtur. nam potest ea pro suo arbitratu illis auferre & dare aliis absque iniuria; quod non potest in ea bona quorum tantum habet administrationem. Non enim potest vnus Monasterij bona sine iusta causa dare alteri Monasterio vel Ecclesiæ, absque peccato iniustitiæ; cuius ratio non est alia, quam quòd non habeat illorum dominium, sed solum Ius administrationis.

Tertiò, Quia communis sententia DD. est, Monachum, quicquid acquirit, non sibi acquirere, sed Monasterio: ut docet Innocent. communiter receptus in cap. Cùm olim. 2. de priuilegiis. atqui hoc improprissimè diceretur, si solum Ius administrandi, non autem dominium Monasterio acquireretur.

Quartò, Si communitas non haberet dominium horum bonorum, vel id proueniret ex Ecclesiæ ordinatione, vel ex uouentium intentione, vel ex intentione donantium. sed ex nullo horum potest prouenire: neque enim vlla est talis ordinatio Ecclesiæ, quæ communitatem faciat incapacem dominij: neque intentio uouentium est, ut per votum

paupertatis, aut professionem excludant dominium à communitate; sed tantum à singulis in particulari: neque intentio fidelium donantium hæc bona, est transferre dominium illorum in quemquam alium quam in ipsos Ordinum Conuentus; sicut qui dat pauperi elemosinam, non intendit transferre dominium in alium quam in pauperem. vide Franciscum Sarmentum de Redditibus Eccl. p. 1. c. 2. n. 21. & 22.

Aduerte tamen, hoc dominium non ita esse absolutum & independens ut secularium: Primò, quia annexum habet onus ut non possit alienari, (saltem quoad bona immobilia & mobilia prædicta quæ seruari possunt) nisi in commodum Religionis; sed debeat transmitti ad posterum: sic enim illorum Conuentui donatum est, & sacris Canonibus constitutum, ut Religio perferre possit. qua in re est simile maioribus, qui etsi alienari non possint, tamen vero dominio possidentur. Secundò, quia ob legitimam causam, per Papam (qui est summus administrator omnium Ecclesiasticorum bonorum) potest ipsis adimi, & aliò transferri, relicto tamen ad vitam necessariis: ut patet tum ex praxi quotidiana, tum quia hac mente à fidelibus censentur donata Monasteriis, ut si cultus diuinus in ipsis deficiat, possint per summum Ecclesiæ dispensatorem melioribus vñibus applicari. Ad rationem Nauarri respondebitur infra.

Dico Secundò, Religiosi professi solemniter, sunt in particulari omnino incapaces omnis dominij, vñ usufructus, possessionis, & similis iuris rerum temporalium, mobilium, & immobilium; ita ut nemo ex illis aliquid suo nomine, seu tamquam proprium tenere possit. Est certa, & communis Doctorum.

Probatur Primò ex cap. Non dicatis. 1. 2. q. 1. Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Desumptum est ex regula D. Augustini. Scripsit in illud Nauar. commentarium secundum de Regularibus.

Secundò ex capitulo, cùm ad monasterium. 6. de statu Monachorum. ubi Innocentius III. sic ait: Prohibemus districte in virtute obedientia, sub obestatione diuini iudicij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat. Et infra dicit nec Papam in eo dispensare posse. & cap. Monachi. 2. eodem titulo. Concil. Lateran. ait: Qui peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro inuenta administratione permissum, a communione remoueat altaris, &c.

Tertiò, ex Concil. Trident. sess. 25. c. 2. Nemini Regularium, tam virorum quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cuiuscumque qualitatibus fuerint, etiam quomodo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere: sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur. Ratio est, quia Religiosus per solemnem professionem non solum spoliat se omni dominio; sed etiam se incapacem omnis dominij & iuris temporalis fecit. etsi enim voto simplici paupertatis non amittas dominium, nec etiam eius fias incapax; tamen voto solemnè amittis, & incapax redderis.

Vnde autem votum solemnè paupertatis hanc vim habeat, quæri potest. de quo infra cap. 41. Dubitar. 8. Nunc tamen breuiter Dico, Ex ordinatione Ecclesiæ hanc vim habere. quod ex eo constat, quia non habet eam præcisè ex natura voti; ut pa-

20

Hoc dominium est limitatum, & affectum.

21

22

Votum simpliciter red- dit incapacem ex vi ordinationis Ecclesiæ.

ter in voto simplici; quod non minus est efficax in ratione voti, quam solemne; & tamen numquam potest inducere hanc incapacitatem. Neque etiam ex intentione vouentis: si enim voueas in Religione non approbata à Sede Apostolica, quantumuis intendas te reddere incapacem dominij, tamen incapax non fies: nemo enim suo arbitratu se potest reddere incapacem. Vnde non relinquatur aliud quam ordinatio Ecclesiæ, statuentis vt professio in Religione approbata hunc effectum habeat. Simile est in incapacitate matrimonij, per solemne votum castitatis inducta.

Dices, Suprà n. 21. dictum est Papam non posse concedere vt Monachus proprium habeat; atqui si ex constitutione Ecclesiæ proueniret quod non sit capax dominij, Papa posset ei proprium concedere; quia potest in Ecclesiæ constitutione dispensare.

Quomodo non potest habere proprium, seu dominium.

Resp. Proprium dupliciter accipi potest. Primò, vt significet dominium, quod in se & sui vsu sit omnino independens ab arbitrio Superioris, & tale proprium non potest concedere: quia essentia status regularis repugnat. Nam ex vi voti paupertatis, & ipsa dominij retentio, & eius vsus arbitrio Superioris subijcitur, ita vt si Religiosus dominium retineat, illud secundum se & sui vsum debeat assidue à nutu Superioris dependere; vt infra c. 41. Dubit. 9. ostendimus. Itaque constante Religionis natura, hoc proprium concedi nequit. De tali loquitur Pontifex d. cap. Cùm ad Monasterium. 6. & Concil. Lateran. loco citato.

Secundò, potest accipi generatim, vt comprehendat etiam dominium, quod in se & in sui vsu à Superioris arbitrio dependet. & hoc modo Papa potest proprium seu dominium concedere. tale enim proprium cum essentia Religionis non pugnat, vt infra loco notato dicitur. & huius proprii incapacitas ex Ecclesiæ constitutione prouenit, non ex ipsius voti natura, aut vouentis intentione, vt ostensum est.

23. Addo, Ecclesiam etiam absque professione posse aliquem incapacem dominij & matrimonij reddere; vt videre est in ijs, qui in nostra Societate cooptantur in Coadiutores formatos, siue spirituales, siue temporales; qui etsi professionem non faciant, tamen per formulam suorum votorum redduntur incapaces & dominij & matrimonij; ita statuente Sede Apostolica. Simili modo, qui in gradum Scholasticorum vel Coadiutorum post biennium admittuntur, siunt inhabiles ad matrimonium, eiusdem Sedis Apostolicæ decreto, quæ hanc incapacitatem & inhabilitatem votis illorum adnexuit. Ex supradicta propositione infert Nau.

24. lib. de Redditijs, quaest. 1. monito 10. & 12. & commentario 2. num. 2. Religiosum professum nullius rei habere dominium, ne vestis quidem qua induitur, aut panis quo vescitur; sed quidquid habet, esse penitus subiectum administrationi Superioris; sine cuius consensu nihil omnino habere possit.

25. Consecratio. Peccat Religiosus peccato proprio.

Vnde sequitur Primò, Peccare mortaliter, si aliquid notabilis momenti recipiat & retineat, sine tacito vel expresso consensu Superioris. Secundò, Si donatione, vel alio modo tale quid alienet, sine Superioris consensu; & eum, qui accepit, teneri ad restitutionem. Tertio, Si abscondat, ne Superior sciat. Quarto, Si possideat aliquid tamquam proprium, nolens illud permittere Superio-

ris dispositioni; aut mutans tamquam iniuria affectus, dum ei adimitur. Ratio est, quia hæc omnia, dum absque consensu Superioris fiunt, sunt actus dominij independentis, & iuris proprietarij; qui per votum paupertatis religiosæ redduntur illiciti; vt quibus votum & professio violentur.

Dixi, Religiosos esse incapaces dominij rerum temporalium; quia iurium & bonorum spiritualium non sunt incapaces iurium spiritualium. Nam Regulares beneficiarij habent dominium, vel quasi dominium & possessionem suorum beneficiorum; & possunt agere nomine proprio ad eorum dominium obtinendum, & ad adipiscendum, retinendum & recuperandum eorum possessionem. Similiter simplex Religiosus potest agere nomine proprio, super iure eligendi sibi competente, & iure alimentorum; & iure manendi in tali vel tali Monasterio. de quo vide Nauar. q. 1. de Redditijs, monito 9. & commentario 2. de Regularibus. Ratio est, quia Religiosi per votum paupertatis non renuntiant bonis spiritualibus, nec iuribus prædictis, aut honoribus, qui pro talibus debentur; sed tantum temporalibus, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 186. a. 7. ad 4. & Caietan. ibidem.

Dico Tertio, Quidam Religiosi non professi, sed tamen per solum votum simplex acceptatum ab Ecclesia facti verè Religiosi, non sunt incapaces dominij; sed retinent illud quamdiu Superiori videtur; non tamen possunt habere vllum vsuum suorum bonorum, vel aliorum, sine Superioris consensu. Patet ex constitutione Greg. XII. edita hac de re anno 1584. quæ incipit, Ascendente Domino, &c. Tales sunt Scholastici approbati, & Coadiutores, emissis votis post biennium probationis, in Societate Iesv.

27. Religiosi non professi.

Vbi Notandum est, non esse de essentia paupertatis religiosæ vt reddat hominem dominij incapacem, vel etiam vt dominio priuet, sed tantum vt priuet potestate vtendi, ita vt absque Superioris consensu non possit vlla re vti, vel de vlla disponere; & illo volente tenearis etiam eius dominium abdicare. Ratio est, quia parui momenti est dominium, cuius vsus ita est impeditus & dependens, & alienatio sic obstricta & debita. dominium enim rerum non æstimatur nisi propter vsuum & potestatem disponendi: vnde si potestas vtendi & disponendi ita impediatur in aliquo per votum ac si non esset dominium, sanè talis meritò religiosæ paupertatis cultor est censendus. nihil enim amplius habet in rebus temporalibus potestatis, quæ in actum possit exire, quam is qui dominio caret.

Essentia paupertatis religiosæ.

Hinc sequitur Primò, Talem, si alicuius rei, etiam si sua sit, vsuum vsurpet, absque Superioris consensu tacito vel expresso, peccare mortifere, si res sit notabilis momenti; quia non secus est priuatus potestate vtendi quam si sua non esset. Secundò, Si de ea disponat in alium, per donationem, testamentum, vel aliter absque consensu Superioris, non solum peccare mortaliter, sed etiam dispositionem esse irritam. Cuius ratio est, quia per votum paupertatis à legitimo Superiore acceptatum priuauit se potestate disponendi suo arbitrio, solumque retinuit potestatem disponendi ex arbitrio & consensu Superioris. vnde si hic consensus desit, dispositio erit irrita; idque multò maiori ratione quam dispositio

28. Consecratio.

Dispositio est inualida absque Superioris consensu.

suo Prælati de re Ecclesiæ est irrita, si fiat absque consensu Capituli. Simili modo dispositio pupilli est irrita absque consensu tutoris. etsi enim totum dominium sit in pupillo; tamen hoc dominium est impeditum, translata potestate disponendi in tutorem. Simili modo dominium talis Religiosi est impeditum, ita ut non possit exire in actum, nisi dependenter à voluntate Superioris. concessa tamen potestate disponendi, potest disponere in qualvis pias causas: nec Superior potest illum ad hanc vel illam restringere; ut ex Constitut. constat.

29
Religiosi
beneficia-
rij.

Dico Quartò, Religiosi beneficiatij, ut Abbates, Priores, Præpositi, Commendatores, & similes habentes beneficia regularia vel secularia, etsi nullum habeant dominium, habent tamen ius administrandi & dispensandi fructus suorum beneficiorum, tum ad sui status congruam sustentationem, tum ad alias pias causas. Id enim Iure & consuetudine est eis concessum, quamdiu illa beneficia obtinent; ut probat Nau. comment. 2. de Regular. n. 10. quamvis Franciscus Sarmiento prima parte Defensionis, monito 11. contrarium teneat, de quo plura infra c. 41. dubit. 11.

Quomodo
Religiosi
possint ex-
pendere.

Ex his sequitur, Religiosum factum Abbatem, Commendatorem, vel Episcopum, etsi possit expendere in usus proprios necessarios & decentes, & ad pias causas; non tamen posse expendere in res vanas, aut ditare suos amicos; & si fecerit, teneri ad restitutionem: similiter & eos, qui illa acceperunt. Ratio est, quia omnium istorum bonorum non est dominus, sed solum administrator & dispensator, habens tantum modò ius ad expendendum illa bona iuxta præscriptum Canonum, & Religionis, & intentionem eorum qui ea Religioni vel Ecclesiæ reliquerunt. Vide Nauar. q. 3. de Redditibus, monito 17. & 33.

30
Concessio
bonorum
stabilium.

Dico Quintò, Superiores Religionum non possunt alicui regulari concedere vlla bona stabilia, (ut sunt fundi, redditus, ædium locationes) etiam ad usum dumtaxat vel administrationem. Colligitur ex Trid. sess. 25. cap. 2. de Regularibus, ubi sic habetur, *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usum fructuum, vel usum administrationem, vel commendam.*

Sententia
Nauarri.

Administratio autem bonorum Monasteriorum vel Conuentuum, ad solos officiales eorundem ad nuntium Superiorum amovibiles, pertineat. Nauar. comment. 1. de Regul. n. 15. & 16. putat hoc decretum solum continere Ius commune, esseque declarationem capituli *Cum ad Monasterium*: ac proinde solum prohiberi concessionem superflua, aut ad quosvis usus etiam profanos. sed longè verius est hic novum Ius contineri, & introduci; idque tum ad tollendos abusus, qui ex hisce concessionibus bonorum immobilium sequi solent; tum propter speciem proprietatis, dum regulares talia bona tamquam sua videntur administrare, & fructus in quosvis usus expendere. Itaque etiam si non sit contra votum paupertatis aut contra Ius commune, habere cum facultate Superioris, cumque assidua ab eius nutu dependentia, talium bonorum administrationem & usum ad qualvis pias causas; tamen Concil. id in posterum prohibet, & vult ad solos officiales horum administrationem deinceps pertinere; ut aperte colligitur ex responsis Illustrissimorum Cardinalium, qui præfunt dubiis circa decreta Concilij Tridentini obo-

rientibus, qui ne nobilissimis quidem personis id concedere voluerunt, hoc Concilij decreto per-moti.

Hinc sequitur, etsi census vitales possint per-mitti pro alimentis & vrbis necessariis eorum qui Monasterium ingrediuntur, tamen horum ad-ministrationem non posse ipsis concedi, sed solis officialibus; quamvis eorum fructus vrbis desti-natis impendantur. Illi quoque, pro quibus relicti sunt, nihil sibi iuris in illis vindicare possunt. Vnde Superior potest illos etiam in alios usus expen-dere, modò tamen aliunde satis ipsis provideat. Pontifex tamen cuius Religioso potest talium bo-norum liberam administrationem & usum con-cedere; modò tamen id fiat ad causas pias: quia cum sit supra Concilium, potest in eius præceptis dispensare; de quo 2. 2. q. 1. a. 10.

31
Censuum
vitalium
admini-
stratio.

Aduerte tamen, si alicubi talis administratio rerum mobilium vel immobilium ad usus neces-sarios concederetur, non teneri Religiosos ea Su-perioribus sponte tradere; nisi constaret alia ratio-ne, ex communi penù (ut fit vbi perfecta vite communio seruatur) ipsis prospectum fore. vnde multis locis possunt excusari. nisi enim hoc mo-dò, illis esset prouisum, plerumque necessariis re-bus destituerentur, maxime vbi Abbatia dantur in Commendam, vel malè per Prælatos admini-strantur. Si tamen à Superiore legitimo alia ratio certa institueretur, per quam iuxta formam vite communis, ipsorum necessitatibus satis foret con-sultum; non possent huic reformationi resistere, etiamsi illam priorem rationem in ingressu inuenissent.

32
An tenean-
tur sponte
cedere.

Dico Sextò, possunt tamen Superiores conce-dere aliqua mobilia suis subditis ad usus necessa-rios, & etiam ad opera pia. Est communis senten-tia Doctorum, v.g. vestes, libros, & similem supel-lectilem, (hæc tamen debet esse statui paupertatis accommodata, omni carens superfluo, ut Concil. inquit) & etiam aliquam pecuniam, præsertim ad usus certos & determinatos. Vtrum ad usus suos, vel pios indeterminate concedi possit, dubium est. Verius videtur posse; quia hoc neque est contra professionem paupertatis, neque vllò iure vetatur.

33
Aliaque
mobilia
possunt con-
cedi. etiam
pecunia.

Dices, Concil. Trid. etiam mobiliu possessionem hisce Religiosis prohibere videtur.

34

Resp. Concilium loqui videtur initio capituli de eis bonis, quæ nondum erant incorporata Mona-sterio, aut sine iusta licentia Superioris à Religio-sis obtinebantur: nam immediate post tantum vetat ne Superiores concedant stabilia, nulla facta mentione mobilium. Expedit tamen ob pericu-lum proprietatis & abusus talia non concedi, nisi ad usus omnino definitos.

DUBITATIO VI.

Utrum Clerici non religiosi habeant aliquorum bonorum dominium, & quorum.

Notandum ex Nau. q. 1. de Redditibus, mo-nito 19. Beneficiarios seculares tria genera bo-norum habere posse; Patrimonialia, qualia sunt quæ ipsi hereditate, vel industria, vel donatione, vel alio modo, quo laici solent, sibi acquirunt. Quasi pa-trimonia; quæ ipsi acquirunt ut Clerici, mini-sterij

35
Tria gene-
ra bonorum
Clericu.

sterius Clericorum absque beneficio; vt celebrando, concionando, canendo, confessiones audiendo, Vicaria temporalit; item quæ assignantur alicui ad honestam sustentationem ab Episcopo vel Pontifice, merè Ecclesiastica: vt sunt ea quæ recipiuntur ratione Canonatus, Decanatus, vel alterius beneficij titulo.

36 Respondeo & Dico Primò, Clerici non religiosi habent verum dominium bonorum patrimonialium, & de illis vt laici possunt disponere, est communis DD. Ratio est, quia per Clericatum vel Ordinem neque fiunt incapaces dominij, neque etiam se abdicant dominio, neque se obligant ad patrimonialia in pias causas expendenda.

37 Dico Secundo, Clerici etiam habent absolutum dominium quasi patrimonialium, neque tenentur ea magis in vsus pios expendere, quam bona patrimonialia. Ita Couarru. in cap. Cùm in officijs. de Testamentis nu. 4. Nauarrus, & alij. Ratio est; quia hæc dantur vt stipendium quoddam sustentationis, & veluti merces ratione operis præstiti, vt de ijs disponant pro arbitrio: non enim fideles qui hæc tribuunt, intendunt illis vllū onus imponere, sed permittunt liberrimè illorum dispositioni; sicut permittunt operarij arbitrio vsū mercedis quam ei persolunt. Nec refert quòd hæc stipendia interdum longè excedant operam; quia liberè à fidelibus dantur. Vnde si alicui pro vno Sacro dentur 10. aurei, non minus fiet illius pecuniæ absolutus dominus, quàm is cui datur vnus dumtaxat regalis. si enim pauper sit absolute dominus eleëmofynæ quæ ei datur sine onere, etsi ea magna sit; cur Clericus non fiat dominus stipendij, quod ei liberaliter pro aliquo opere constituitur? Vide Nauar. quæst. 1. de Redditibus, monito 19. & 39. vbi docet contra Innocentium, hæc bona æquari patrimonialibus; ac proinde Clericos de illis liberè disponere.

38 Vnde sequitur, si de his viuant, vel expendant in pias causas, posse tantumdem accipere ex redditibus beneficij, deque eo tamquam de patrimonialibus disponere; quia cùm habeant ius accipiendi totam sustentationem ex beneficio, non tenentur viuere ex alijs suis bonis. vnde si ex alijs viuant, possunt vt compensatione, accipiendo tantumdem ex beneficio. Rursus cùm alia bona non teneantur absolute in opera pia expendere; si sic expenderit, poterunt vt compensatione ex bonis beneficij, quæ alioquin in talia opera conferre debuissent; vt docet Nauar. monito 32. nisi fortasse intenderint non vt compensatione: quod non est præsumendum, nisi id expressè intenderint, & voluerint sibi libertatem illam disponendi adimere. Nemo enim se priuat iure suo, nisi volens.

39 Dico Tertio, Episcopi, Canonici, & alij beneficiarij, quod ad eam partem fructuum atinet, quæ congruæ eorum sustentationi est necessaria, ita fiunt domini, vt non magis teneantur ex ea erogare ad opera pietatis, quam ex bonis patrimonij. est ferè communis sententia Theologorum, etsi multi Canonistæ dissentiant. Ratio est, quia hæc pars est iusta merces eorum, qui Ecclesiæ seruiunt. quatenus Ecclesiæ seruiunt, iure potest ex bonis Ecclesiæ viuere. Vnde sequitur, si quid velint ex hac parte sibi detrahere, posse de eo disponere sicut de bonis secularibus: quia nullam habent obligationem particularem cur hæc potius

quàm secularia bona sua in pauperes vel pias causas teneantur impendere: vt rectè docent Couarr. in c. Cùm in officiis. num. 2. Nauar. de Redditibus quæst. 1. monito 30. Sorus l. 1. o. q. 4. a. 3. conclus. 6. Si enim liberè poterant hæc in suos vsus conuvertere, cur, si seipios fraudare, & parcius viuere velint, vel reseruat fructibus beneficij vt patrimonialibus, non possint eos fructus cuius alteri donare? Idem sentit Couarru. de his redditibus, quos dignissima, inquit, mercede iustitiæ, & laboris impensi in regimine Ecclesiæ, recipit is qui Ecclesiæ curam gellit; vt Pastor, Lector Capituli, Scholasticus, Decanus Christianitatis, & similes: quod etiam ex proposito. 2. satis constat. est enim iusta laboris merces, iustumque stipendium.

Dices, Concil. Trid. sess. 25. cap. 1. omnino interdicit ne Ecclesiastici consanguineos ditare studeant de redditibus Ecclesiasticis.

Resp. Concilium non loquitur de ijs, quæ quis sibi hoc modo subtrahit, vel quæ iusto labore promeritus acquisiuit; (hæc enim non censentur fructus beneficij, sed propriæ industriæ; vt rectè notat Nauar.) sed loquitur de ijs, quæ tantum ratione beneficij obueniunt, & sustentationi redunt.

Notandum hic ex Nauarro, monito 45. sicut iustum pretium rerum non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem; (datur enim infimum, medium, & summum:) ita etiam congrua sustentatio suos gradus habet. quare sicut quiuis iuste potest rem vendere pretio summo seu rigido; ita potest infumere quod ad summum conuenientis sustentationis est necessarium: ac proinde si quid velit huic detrahere, poterit de eo disponere. v.g. infimum congruæ sustentationis sit 500. medium 600. summum 700. si velit vt infimo, & expendere tantum 500. in se suamq; familiam alendam, poterit 200. cedere, vt liberè de eis disponat.

Sed tota difficultas est de ea parte fructuum, quæ non est vlli gradui conuenientis sustentationis necessaria, sed superflua: vt si percipis 1000. florenos ex tuo Canonatu, è quibus 500. omnino sufficiunt, ita vt facillè 500. quotannis recodas, quaritur verum efficiaris dominus illorum 500. ita vt non tenearis ex iustitia in opera pia expendere. Sunt duæ celebres sententiæ. Prior est Nauarri, qui lib. de Redditibus Ecclesiasticis, summis viribus nititur ostendere, Clericos non esse dominos illius portionis redundantis, sed solum dispensatores; ita vt ex iustitia teneantur expendere in pias causas. si secus fecerint, obligari ad restitutionem in opera pia ex alijs bonis, quæ pleno iure retinent: sicut œconomus bona domini sui contra intentionem illius expendens, ad restitutionem tenetur. Idem docent multi Theologi, Alexander Halensis 3. p. quæst. 36. num. 5. artic. 2. Richardus in 4. d. 45. q. 1. circa 3. principale. Henricus quodlib. 8. quæst. 27. hi expressè dicunt, Clericos fructuum Ecclesiasticorum solum habere vsum, non proprietatem, Maior in 4. dist. 24. q. 6. vbi etiam dicit nullum Doctorem ante ipsius ætatem contrarium tenuisse: in quo tamen fallitur. Gabriel in 4. d. 15. q. 8. a. 2. & Paludanus dist. 24. q. 3. sub finem, inclinant in hanc sententiam tamquam probabiliorem & dictis Sanctorum conformiorem: etsi fateantur alteram esse probabilem. Thomas Waldensis tom. 1. lib. 4. c. 42. & quatuor sequentibus. Petrus Soto de Instruct. Sacerdotum, p. 2. lect.

40

Obiectio

In conuenientis sustentatione persunt dari tres gradus.

41

De parte qua excedit latitudinem congruæ sustentationis.

Sententia Nauarri.

lect. 3. vbi dicit: *Primo omnium constat ex decursu rotius Ecclesia ab Apostolis, & ipso Iure diuino, bona omnium Ecclesiarum, cum Christi sint merito etiam pauperum esse; nec vlla ratione, aut potestate humana fieri posse; vt licite in alios vsus quam Ecclesiasticos & pauperum expendi possint.* & infra: *Contrarium credimus errorem esse grauissimum, saltem contra bonos mores, & Iustitiam: & quidem etiam contra Scripturam?*

In eadem sententia sunt plerique Canonistæ, vt ostendit Nauar. tract. 2. de Reditibus, monito 7. & Sarmiento p. 2. de Reditibus cap. 1. & seq. et si in quibusdam minutis inter se discrepent. Eandem tenet Franciscus Turrianus in quadam Epistola ad Episcopum Laodicensem, quam refert Nauar. tract. de Redit. q. 3. monito 35.

Altera sententia huic ex diametro aduersatur; Clericos beneficiarios esse absolute dominos omnium prouentuum, quos ex beneficiis percipiunt, etiam partis illius redundantis. hanc docent passim recentiores.

42
Sententia
Nauarri
est valde
probabilis.

Dico Quarto, Sententia Nauarri, qua parte tenet, Beneficiarios non ita esse dominos partis superflue, quin ex Iustitia teneantur eam in opera pia expendere; adeo vt si in alia insumpserint, obligentur ad restitutionem; est valde probabilis, sacris Canonibus & rationi valde consentanea. Primo, quia est multorum Theologorum, & omnium pene Canonistarum, vt Nauar. ostendit. Secundo, quia multi Canones dicunt eam partem, quæ sumptibus necessariis superest, esse pauperum; & ex bonis Ecclesie vnâ quartam deberi pauperibus; vt patet 12. q. 2. Tertio, quia fideles non contulerunt tantas opes in Ecclesiam, vt Ecclesiastici soli illis fruerentur: sed vt ex illis caperent quod decenti sustentationi necessarium; & reliqua in pauperes aliaque pia opera conferrent: ergo acceperunt illa bona cum tali onere. quare etiam dominium omnium fructuum accipiant, tamen accipiunt cum hoc onere, vt quod superest, in pauperes expendant. Hanc sententiam tamquam iustior, iudico in praxi Beneficiariis consulendam. Nihilominus

43
Altera
vrior.

Dico Quinto, Verius videri, post erecta beneficia, certosque prouentus singulis Titulis assignatos, Beneficiarios effici absolute dominos omnium illorum prouentuum; ita vt quamuis partem superfluum profane expenderint, tamen ad restitutionem pauperibus vel aliis piis causis non teneantur: peccare tamen mortifere, si hanc partem in opera pia non expenderint. ita passim DD. huius temporis. Tradit hanc sententiam Sotus lib. 10. de Iustitia q. 4. art. 3. & 4. & videtur esse sententia D. Thomæ q. 185. a. 7. vt conatur ostendere Sotus & Sarmiento, quamuis Nauar. illum à se stare contendat. Adrianus in 4. tract. de Restit. §. Pro clariori, conclus. 2. & 4. Couar. in c. Cum in officiis, de Testam. Franciscus Sarmiento de Reditibus p. 2. cap. 1. & 2. & p. 4. & alij multi recentiores. Dixi post erecta beneficia, quia antequam essent instituta, & singulis sua portio assignata, alia erat ratio. tunc enim omnes oblationes & reddituum prouentus erant bona communia: nam Clerici vivebant in communi, sicut modo Religiosi; & singulis dabatur ab Episcopo, qui omnium erat administrator, quantum cuique opus: quæ superabant, conferebantur in pauperes, vel in alios pios vsus, vt colligitur ex Canonibus 12. quest. 2.

Vnde tunc nemo habebat dominium, nisi eius partis quam in singulos dies consumendam accipiebat. Verum processu temporis, refrigerante charitate, multa exorta sunt incommoda; vel quod non possent ita communiter pacifice inter se viuere; vel quod plerique maiores commoditates expetrent; vel quod nollent se statui Ecclesiastico sub tanta disciplina, tamque tenui diatâ mancipare. Itaque sensim beneficia & præbendæ institutæ, certique prouentus annui singulis annexi, ex quibus copiosè, seorsim, & pro suo arbitratu possent viuere.

Nunc probatur prior pars, *Ipsos fieri absolute dominos omnium prouentuum.* Primo, quia Canones id satis aperte dicant: nam cap. vnic. de Clerico non residente, in 6. dicitur, *Qui diuinis Officiis non intersunt, (nisi infirmitas seu iusta & rationabilis necessitas, aut euident Ecclesie utilitas releuet) non sunt domini quotidianarum distributionum; neque faciunt eas suas; sed ad restitutionem sic perceptorum obligantur.* Supponunt ergo, alios, qui intersunt, fieri dominos: quod si isti sunt domini quotidianarum distributionum, cur non etiam aliorum prouentuum? præsertim cum omnes dentur propter diuinum Officium, siue publicè siue priuatim dicendum?

Fieri dominos prouentuum.

Respondet Nauarrus & Canonistæ, esse dominos quoad fidem administrationem. Sed hæc expositio est extorta; nam sic etiam Abbates essent domini suorum prouentuum, quod nemo dixerit. Secundo, Conc. Trid. sess. 22. c. 3. de Reformatione statuit, *vt in omnibus Ecclesiis cathedralibus & collegiatis tertia pars prouentuum, omnium dignitatum, personatum, & officiorum, in distributiones diuidatur; vt scilicet qui eas obtinent, si personaliter competens sibi seruitiu quolibet die statuto non impleuerint, illius diei distributionem amittant, nec eius quoquo modo dominium acquirant; sed fabricæ vel alteri loco applicetur.* Tertio idem sess. 23. ca. 1. de Reformatione statuit, *vt Episcopi, qui ultra tres menses (nisi urgente necessitate) absunt à suis Ecclesiis, fructus non faciant suos pro rata temporis absentia: sed teneantur fabricæ vel pauperibus erogare.* Idem statuit de aliis curam animarum habentibus. His & aliis locis aperte insinuat Concilium, Beneficiarios, si præsentent quod debent, fieri integre dominos omnium suorum prouentuum.

Altera pars, quod non teneantur ad restitutionem etsi profane expendant, videtur sequi ex dictis. Si enim absolute sunt domini, cur teneantur ad restitutionem? quisque enim rei suæ est moderator & arbiter. Idem sentire videtur D. Thom. q. 185. Probatur a. 7. vbi cum ex can. De rebus 12. q. 2. ostendisset, redditus Ecclesie & oblationes fidelium in quatuor portiones esse diuidendas, ex quibus prima danda sit Episcopo, secunda fabricæ, tertia pauperibus, quarta Clericis; subdit: *Si ergo distincta sint bona, quæ debent in vsu Episcopi cedere, ab his quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesie eroganda, & aliquid sibi retinuerit Episcopus de his quæ sunt pauperibus eroganda, vel in vsu ministrorum, aut in cultum diuinum expendenda; non est dubium quin contra fidem dispensatoris agat, & mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur. De his autem, quæ sunt specialiter suo vsui deputata, videtur esse eadè ratio quæ est de propriis bonis, vt scilicet propter immoderatum affectum & vsu, peccat quidem si immoderata sibi retineat, & aliis non subueniat,*

44
Non tenentur ad restitutionem.

Probatur ex D. Tho.

ueniat, sicut requirit debitum charitatis. hec ille. vbi videntur deesse hæc verba, non tamen ad restitutionem teneatur, vt notat Sotus: quia hanc redditionem requirit illud quidem; alioquin est oratio imperfecta & *ἀνεπιτελής*. idem postulat illa oppositio, quam statuit inter portionem ipsius vsui specialiter deputatam, & inter portiones aliis deputatas, quarum solum est dispensator. deinde, etiam si illa verba non addantur, tamen satis manifestè res ipsa videtur insinuari, dum ait eandem esse rationem de bonis specialiter ipsius vsui deputatis, & de proprijs seu patrimonialibus. quod non est ita intelligendum, quasi Episcopus possit vtraque eodem modo expendere, dum superflua sunt, & honestè sustentationi redundant: id enim falsum est, & contra Conc. Trident. sess. 25. cap. 1. de reform. & contra multos Canones antiquos, quibus iubentur Ecclesiastici, quæ ipsi superant, in causas pias erogare. Denique repugnat communi prudentum iudicio. quis enim dixerit, cui quotannis viginti, triginta vel plura aureorum millia redundant ex fructibus Ecclesiasticis, eum posse de illis ita liberè disponere vt de secularibus? Itaque illud accipiendum quoad dominium & immunitatem à restitutione in vtroque bonorum genere; vt colligitur ex verbis præcedentibus in corp. art. Item quoad hoc, quod non teneatur illa, nisi necessitate urgente, in pauperes erogare: qua non urgente liberum ei sit in alia pia opera infumere. In his igitur est eadem ratio bonorum patrimonialium & fructuum Ecclesiasticorum alicui specialiter deputatorum. non tamen negat D. Thomas quin absolute teneatur superflua bonorum Ecclesiasticorum vel in pauperes vel alia opera pia erogare, & quidem strictiori Iure quàm superflua bonorum secularium; vt colligitur ex resp. ad 2. vbi solum permittit de illis bonis dari consanguineis, quantum necesse est vt non egeant. Aliter hunc locum exponit Sarmiento & Sotus: sed meo iudicio non rectè; quia sequeretur, Episcopum vanè infumendo 50. millia aureorum superflua ex redditibus Ecclesiæ, non plus peccare quàm tantundem infumendo ex secularibus.

Idem probatur ratione. Primò, Nemo cogendus est ad restitutionem alicuius rei, nisi constet esse alienam, vel lege iustitiæ alteri debitam: atqui nulla ratione vel auctoritate constat Beneficiarios vel non habere dominium omnium suorum proventuum, vel aliquam partem horum lege iustitiæ alteri deberi: ergo non sunt ad restitutionem cogendi. Maior patet ex Reg. Iuris, *In dubio nemo spoliandus est iure, quod possidet.* & *In pari causa potior est conditio possidentis.* Minor probatur, quia hoc neque potest conuinci ex modo donationis fidelium, quo hæc bona ad Ecclesiam translata sunt; neque ex Ecclesiæ præcepto, aut dispositione. Non ex modo donationis, quia non constat, fideles qui hæc bona contulerunt, sub hoc modo & hac conditione donasse, vt Ecclesia lege iustitiæ teneatur, ex iis quæ ministrorū honestæ sustentationi superessent, pauperes alere, vel alia opera pia promouere, vt diuersa opinio supponit. quamuis enim fideles intenderint vel desiderauerint vt hoc fieret, tamen valdè credibile est eos Ecclesiæ talem obligationem non imposuisse: tum quia non dubitabant quin Episcopi & Prælati, qui illa administrabant, id sponte sua essent abundè facturi, quod eos passim tam sollicitè facere videbant.

tum quia modestiores, & in suos Superiores reuerentiores erant, quàm vt illis auerent huiusmodi obligationem imponere; præsertim cum hæc darent in redemptionem suarum animarum, vel vt feruorum Dei preces & suffragia consequerentur, vel ad cultus diuini amplificationem.

Confirmatur, Quia bona Ecclesiæ à fidelibus relicta, vel sunt decimæ, vel prædia, vel census, vel dominia pagorum, oppidorum, prouinciarum, &c. atqui nullum genus horum videtur relictum cum tali onere: nisi fortè in particulari aliqua donatione id expressum sit: ergo generatim non est putandum tale onus esse impositum. Minor probatur, Nam quod ad Ius decimarum attinet, fideles ratione illius non potuerunt Ecclesiæ vllam obligationem erga pauperes imponere: decimæ enim debentur illi lege Iustitiæ, ratione administrationis spiritualium; vt communiter Doctores tradunt, & docet D. Thom. q. 77. art. 1. Ratio est, quia tenetur populus lege Iustitiæ eos qui ipsi spiritualia administrant, pro dignitate sustentare: idque lumine naturali constat, etiam apud Ethnicos. Porro ad hanc sustentationem Ecclesia ab initio determinauit decimam fructuum partem, exemplo Legis veteris: vbi etsi longè pauciores essent Leuitæ & Sacerdotes, alijque sacrorum ministri; minor quoque esset eorum dignitas, minor labor, minor sacrorum sumptus; tamen decima pars fructuum, præter primitias & oblationes, à Deo constituta & præcepta fuit: neque ipsis vlla obligatio Iustitiæ ad superflua in pauperes eroganda fuit imposita. Itaque decimæ (de quibus tamen maximè est quæstio) post illam determinationem non dantur libera fidelium voluntate, sed soluuntur lege Iustitiæ, sicut tributa Principibus. quare non potuerunt fideles vllam obligationem Clericis ratione decimarum, quo ad modum expendendi superfluos illarum fructus, imponere. verum de his infra, cap. 39. Dub. 1. & 2.

Dominia, prædia, & census proueniunt quidem ex libera fidelium donatione; non tamen videntur donata cum tali onere; dominia enim data sunt Ecclesiæ ad splendorem & auctoritatem: prædia & census, ad fundationem Ecclesiarum vel Monasteriorum, eorumque conseruationem, ad augmentum cultus diuini, ad erectionem alicuius beneficij, ad satisfactionem pro peccatis, ad alimenta ministrorum Ecclesiæ, & aliorum in communi viuere volentium; vt constat ex multis Can. 12. quæst. 1.

Sed neque ex dispositione Ecclesiæ constare potest Beneficiarios ad restitutionem malè expensorum teneri. Primò, quia nusquam id in Canonibus clarè explicatur; cum tamen sit res maximi momenti, vt quæ ad omnes Beneficiarios pertineat, & summopere ad publicam ædificationem, & pauperum subuentionem faciat. sanè si vel ex natura rei, vel ex Ecclesiæ præcepto obligantur, id clarè debuisset per summos Pontifices, vel Concilia œcumenica, aut prouincialia exprimi, nec tanta iniquitas tolerari: cum in rebus multò minoribus & per se clarioribus id fecerint, ne quis prætextu ignorantie se posset excusare; v. g. cum teneri ad restitutionem, qui diuino Officio non interesset, vel Preces canonicas, aut partem earum aliquando prætermitteret, aut à sua residentia supra tres menses emaneret; & alia id genus: vt videre est in Conc. Lateran. sub Leone X. Concil. Trident.

45
Probatur
ratione.

Non ex
modo do-
nationis.

Diuersa
bona Ec-
clesia.

Decima.

Non ex or-
dinatione
Ecclesia.

Trident. & variis Canonibus 12. quæst. 1. & q. 2. & alibi.

46 Secundò, Probatur, quia Ecclesia non rescindit pacta, vel donationes quibus beneficiarij fructus redundantes alienant, vel profanè aut vanè expendunt: quod tamen omnino facere deberet, si putaret eos pauperibus stricto iure deberi. Hanc enim providentiam & curam ipsa pauperum causis debet; vt si quid lege iustitiæ eis debitum sit, præstari curet, & debitores, si opus sit, compellat; sicut in testamentis & piis legatis facere consuevit. Eandem debet suis subditis, Clericis & laicis: vt nec illis permittat quod pauperum est alienare, nec his retinere. Et sanè mirum esset, Ecclesiam permittere tantam iniustitiam, & non compellere ad restitutionem; sicut administratores alienorum compelli solent, si illa in suos vsus conuerterint, vel malè expenderit: maximè cum causa pauperum sit in primis fauorabilis. Hæ sunt præcipuæ rationes pro hac sententiâ. qui plures desiderat, videat Franciscum Sarmiento de Redibus p. 4. cap. 1. vbi 12. rationes adfert: sed ferè iam dictis continentur.

47 *Esse peccatum legale.* Tertia pars, quod mortaliter peccent, si expendant illam portionem redundantem in vsus profanos, vel ad ditandos amicos, est communis sententiâ DD. vt fatetur Sarmiento. & Probatur Primò, quia est contra districtum Ecclesiæ præceptum. Nam Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. de reformatione, sic ait,

Conc. Trid. Omnino enim eis interdicit (Episcopi sancta Synodus) ne ex redditibus Ecclesiæ, consanguineos familiarè seu suos augere studeant; cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent: sed si pauperes sint, eis vt pauperibus distribuant. & infra: Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque Ecclesiastica beneficia, tam secularia quam regularia obtinentibus, pro gradu sua conditionis obseruari, sed etiam ad S. E. R. Cardinales pertinere decernit.

Vbi Notanda Primò sunt illa verba, *omnino interdicit*, quibus aperte insinuat strictum præceptum.

Notandum Secundò, Non solum ipsos redditus, sed etiam reddituum fructus, *res Ecclesiasticas*, & *res Dei* vocari. quod ex eo liquet, quod Episcopi non redditibus ipsis, sed fructibus eorū consanguineos locupletare soleant: fructus quoque, non redditus in pauperes distribuuntur. Denique quia hoc præceptum extenditur ad omnes minores Beneficiarios, quorum pauci administrationem habent, nisi suorum beneficiorum; qui si redditus ipsos in consanguineos transferre velent, omnes illis obstitissent. Vnde etiam constat, Concilium loqui non solum de fructibus alienis, quorum habent solum administrationem; sed etiam de iis qui mensæ Episcopali sunt applicati.

Cur dicantur esse res Dei. Dicuntur isti fructus esse *res Dei*; quia sunt destinati tum ab Ecclesia, tum à donatoribus, vt ad honorem & cultum Dei impendantur: quo modo etiam decimæ dicuntur esse Dei. quæ causa sufficiens est vt Ecclesia singulis possit imponere præceptum, ne ex his consanguineos ditare studeant, aut vanè expendant. Idem probari potest ex antiquis Can. quibus præcipitur, vt portio fructuum & oblationum, quæ Episcopo, Clericis & Fabricæ non esset necessaria, distribuatur pauperibus; quod à temporibus Apostolorum multis sæculis

seruatum est, & à variis Pontificibus & Conciliis confirmatum: cui ordinationi Ecclesia per erectionem beneficiorum, & per hoc quod singulis suæ partis administrationem permittit, derogatum non fuit: sed potius voluit ei per singulos, pro cuiusque facultate, satisfieri. quare sicut Episcopi, cum illa administrarent, tenebantur portionem ceteris non necessariam, pauperibus seponere: ita Beneficiarij, qui in illam administrationem ex parte successerunt, tenentur ea, quæ sibi redundant, in vsus pauperum, vel saltem in piis causis, quando graues necessitates non occurrunt, seponere.

Secundò probatur, Nisi Ecclesiastici obligarentur superflua in pios vsus impendere, valdè improvidè faceret Ecclesia, tantam affluentiam fructuum illis permittendo. quid enim hoc aliud esset quam dare illis vitam & instrumentum luxus, libidinum, superbiæ; & frustrari pia fidelium vota: deberet potius bonam partem illis detrahere, & inde alia bona opera instituire.

Tertiò, Clerici ratione gradus, quem obtinent in Ecclesia, sunt veluti patres & tutores pauperum & orphanorum: ergo peculiari nexu charitatis & misericordiæ tenentur illis opem ferre. Confirmatur; quia elemosyna sæpè est necessaria ad bonum spirituale in subditis conseruandū; vt quando pudicitia virginum ratione paupertatis periclitatur: aut aliqui ad furta & latrocinia se conuertunt. Ergo Ecclesiastici, (maximè Episcopi & parrochi) qui ex officio bonum spirituale subditorum procurare debent, partem prouentuum suorum præ ceteris in opera pietatis impendere tenentur. vide Sorum lib. 10. quæst. 4. art. 4. conclus. 2. & 3. Verùm hæc ratio non probat extra tales casus teneri illos sub peccato mortali præcisè ratione superflui. Itaque præcipua ratio, cur tam strictè extra necessitatem grauem corporalem vel spiritalem proximi teneantur superflua illa in pauperes vel opera pia impendere, est Ecclesiæ præceptum: quo semoto, et si nonnulla sit inordinatio, tamen non videtur mortifera.

Contra 1. & 2. partem oppositionis quinta, *Obiectis* qua parte astruit dominium absolutum Beneficiarios.

reriorum, eosque à restitutione liberat, sunt multa argumenta ex Canonibus & Patribus, vt videre est apud Nau. q. 1. de Redit. Monito 21. 22. 23. vbi habet 17. rationes: quarum præcipuas attingemus.

Obicitur Primò, Multi Patres & Pontifices in suis Canonibus dicunt bona Ecclesiæ esse *patrimonium Christi, res Dei, bona pauperum*: & Clericos tantum esse dispensatores & procuratores bonorum Ecclesiæ: vt videre est 12. q. 1. & 2.

Resp. Dicuntur *patrimonium Christi*, quia propter Christum, & ad cultum Christi sunt donata. Dicuntur autem *bona pauperum*; tum quia omnia superflua dicuntur esse pauperum, vt pote pauperibus eroganda: (qua ratione Hieron. etiam de secularibus dicit, *Aliena rapere conuincitur, qui vltra dicantur.*) tum quia peculiari ratione Clerici ex his bonis pauperibus subuenire debent: tum denique quia hæc sententiâ referenda sunt maximè ad illud tempus, quo nondum beneficia erant diuissim erecta, sed vivebatur in cõmuni: tunc enim verè erant bona pauperum, non laicorum propriè, sed Clericorum, qui tunc pauperes erant, & in particulari nullum habebant dominium, sed communiter omnia possidebant, & aliqui ex illis erant bono-

bonorum communium ad ministratores, sicut in monasterijs. Nos autem agimus de tempore post erecta beneficia & bona diuina.

49 Obijcitur Secundo, Multi canones iubent fructus reddituum Ecclesiasticorum, & oblationes fidelium diuidi in quatuor partes, & vnā tribui Episcopo, alteram Clericis, tertiam fabricæ, quartam pauperibus. Ita habemus can. de Reddibus, qui est Simplificij, & can. Vobis, can. Concesso, & can. Quatuor, qui sunt Gelasij; item can. Cognouimus, can. Mos est, qui sunt Gregorij primi, & habentur 1.2. q. 2. atqui in plerisque locis non videtur quidquam assignatum pauperibus; sed solum Episcopo, Clericis & fabricæ: ergo portio pauperum permixta est prouentibus Clericorum & Episcoporum: ac proinde tenentur ex iustitia illam in pauperes conferre. ea autem portio censetur esse pauperum, quæ ipsorum statui non est necessaria. Nec satis facit si dicas, canones illos intelligendos de bonis vsq; ad illud tempus donatis; nõ autem de donandis in posterum: quia Gregorius expressè iubet, *vt sine de præteritis redditibus, siue de his qua in posterum obuenient, quarta secundum distributionem canonicam dispensentur.*

Resp. Ex istis canonibus satis conuincitur, Clericos teneri præcepto Ecclesiæ ijs locis, ubi pauperibus sua quarta non est assignata, quæ sibi redundat, erogare: non quod ex iustitia hæc pauperibus debeantur; sed quia facti canones iubent vt ipsi ex Ecclesiæ redditibus quarta portio detur: vt habetur can. Mos est, 1.2. q. 2. Vnde cum passim in bonorum Ecclesiasticorum diuisione & beneficiorum erectione nihil pauperibus videatur assignatum; dubitandum non est quin obligentur Beneficiarij singuli pro sua parte diuisis enim bonis, simul diuisa est obligatio his bonis ordinatione Ecclesiæ imposita. Non enim Ecclesiæ voluit (sicut antè diximus) per erectionem beneficiorum & bonorum diuisionem hanc obligationem extinguere, vt satis ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. de Reform. constat.

Dices, Hospitalia ex his bonis videntur constituta: ergo pauperibus sua quarta est assignata.

Resp. Negando antecedens; pleraque enim alia ratione sunt erecta, ita vt bonis Ecclesiasticorum nihil sit detractum. & quamuis constaret alicubi ex his bonis erecta esse, nihilominus superflua tenentur in pauperes vel alias pias causas, quæ nunquam defunt, impendere; quia hæc est mens canonum, & intentio fidelium.

50 Obijcitur Tertio, Clerici non possunt de bonis Ecclesiasticis testari: ergo non sunt domini. antecedens patet cap. Relatum, 1.2. & cap. Ad hæc, 8. tit. de Testamentis. & Confirmatur; quia agri, domus, & similia acquisita bonis Ecclesiasticorum pertinent ad Ecclesiam, non ad ipsos Clericos; vt patet ex can. Placuit, 2. q. 3. qui est Concilij Carthaginensis Tertij, & ca. Sacerdos, 1.2. q. 4. ex Concilio Toletano IX. item ex toto tit. de peculio Clericorum. ergo pecunia, qua acquiruntur hæc bona, ad eos non pertinet.

Resp. Hinc tantum sequi, vsum dominij in certis actibus impediti; sicut in impubere. merito autem in condendo testamento impeditur, tum quia par est vt quod ipsis superest relinquatur Ecclesiæ: tum quia hæc ratione auocantur à studio accumulandi, & incitantur vt in vita ad pios vsus erogent. Nunc tamen consuetudine tandem ob-

tentum vt testari possint, de qua infra cap. 19. Dub. 4. Ad Confirmationem

Resp. Neg. consequent. quia Ecclesiæ potuit statuere, vt si aliqua immobilia comparentur pecunia Ecclesiastica, ea cedant in dominium Ecclesiæ; nimirum ne Clerici opibus congerendis instat sæcularium inhiarent, sed potius iuam pecuniam in pauperes conferrent. Vide plura apud Nauarr. supra, & Sarmiento, 3. p. de Reddibus Ecclesiasticis cap. 2. quæ quia difficultatem non habent, omitto.

DUBITATIO VII.

Utrum Clerici habeant dominium bonorum immobilium Ecclesiæ & suppellectilis sacræ.

Resp. Nemo in particulari habet dominium bonorum immobilium Ecclesiæ, vel suppellectilis sacræ, sed cæus Ecclesiasticorum cuiusq; Ecclesiæ habet dominium bonorum suæ Ecclesiæ; sicut conuentus Monachorum habet dominium bonorum monasterij: cum his tamen limitationibus. Primò, vt Pontifex tamquam caput omnium Ecclesiarum & conuentuum Ecclesiasticorum habeat supremam omnium administrationem: de quo vide Nauarr. in cap. Non licet, De bonorum spoliis Clericorum. §. 3. Secundo, vt si sit necessarium, vel valde expediens ad commune bonum Ecclesiæ, possit Pontifex ea ad alios vsus, & etiam ad alias dioceses transferre. sic videmus interdum bona Ecclesiastica Principibus sæcularibus concedi ad Ecclesiæ vtilitatem. absque tamen iusta causa id facere non potest: quia non est dominus, sed administrator; ac proinde leges fidelis dispensatoris seruare debet. prima autem lex est publica Ecclesiæ vtilitas. Tertio, vt conuentus Ecclesiasticus cuiusque diocesis teneatur illa ad posteros transmittere, nec possit ea vendere, vel extinguere pro arbitrio quod vinculum prouenit partim ex decreto Ecclesiæ, partim ex donatorum dispositione, qui voluerunt ea perpetuò esse cultui diuino dicata. Vide Adrianum in 4. de Restit. §. Pro clariori. & Turrecrem. lib. 2. de Ecclesiâ cap. 113.

DUBITATIO VIII.

Utrum omnia homine inferiora cadant sub eius dominium.

Resp. Res omnes externas vsibus humanis subiectas, cadere sub dominium hominis, idque iure naturæ; vt agros, montes, flumina, plantas, bestias, metalla, & similia. Cælorum autem & astrorum propriè non sumus domini: etsi enim propter nos condita sint, vt nostris vsibus famulentur; tamen non sunt nobis ita subiecta vt de illis possimus disponere; sicut res inferiores, quas contrectamus & aptamus ad nostra commoda. Sumus tamen domini effectuum, vt luminis, caloris, auræ salubritatis; quia his vti-mur quodammodo, sicut aliis rebus externis. Alio tamen modo possumus dici domini cælorum & astrorum, quia in obsequium nostrum facta sunt. Vide D. Th. 1. p. q. 96. a. 2.

53 *Quo modo Iure natura dominus sit.* Aduerte tamen, cum dicitur hominem Iure natura habere dominium in res inferiores, non esse id ita intelligendum, quasi singuli habeant completum dominium a natura; sed quia potestatem habent res inferiores occupandi, & earum dominium completum comparandi. hoc enim ius cuique a natura concessum in rem quamlibet, vt eam occupare, sibi que vindicare possit, si ab alio ante occupata non fuerit.

horum esse apud solum Deum. Ita passim DD. *Homo vita vsuarius eam tenens precario.* D. Thom. q. 64. a. 1. Caetan. in Summa, verbo Homicidium. Victoria relect. de homicidio n. 21. Sotus lib. 4. de Iustitia, q. 2. a. 3.

Probat ex Scriptura, Deuter. 32. vbi insinuat diuina potestatis esse, posse occidere, & vitam concedere. *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus preter me: ego occidam, & ego viuere faciam.* i. habeo ius & potestatem occidendi. Sapientia 16. *Tu es Domine, qui vite & mortis habes potestatem.* Idem docuerunt non solum Doctores Christiani, sed etiam Philosophi. Cicero de Senectute refert Pythagoram dixisse, *Nemini fas esse iniussu Imperatoris summi Dei, de presidio & Statione vita discedere.* Eadem est sententia Aristot. 1. 5. Eth. c. 10.

Ratio est, Primò, quia dominium non est nisi in res eas, quas nostra industria nobis possumus adsciscere: has enim sicuti possumus acquirere, ita etiam relinquere: atqui vitam nemo sua industria potest acquirere. Secundò, quia vita est fundamentum omnis dominij humani: antequam enim vitam accipiat, nullius dominij est capax, quia non est: ergo par non est vt ipsa sub dominium cadat: sicut fundamentum omnium accidentium non potest esse quid accidentarium. Tertio, quia dominium non est nisi in res distinctas: vita autem & membra non sunt quod distinctum a nobis, sed pars nostri vel substantia.

Cur homo non sit vita sua dominus.

D V B I T A T I O I X.
Utrum homo cadat sub dominium alterius hominis.

54 *Quo modo quidam natura serui, quidam domini. Nulla seruitus in statu immo-centia.* Respondeo, & Dico Primò, Iure natura non habet homo dominium in alterum hominem. Ratio est, quia omnes homines natura conditione sunt pares; cum sint eiusdem nature, ex eodem parente, & ad eundem finem conditi. & quamuis quidam a natura sint magis apti ad imperandum, alij ad seruiendum, (qua ratione Aristoteles 1. lib. Polit. c. 1. & 3. dixit quosdam natura seruos, quosdam dominos) nemo tamen natura est seruus propriè. cuius signum est, quod in statu nature integræ nulla futura fuerit seruitus, vt communitè docent Patres, Aug. lib. 19. de Ciuit. cap. 15. & Gregorius lib. 21. Moral. cap. 11. quia seruitus est pena peccati.

55 Dico Secundò, Iure tamen gentium & ciuili potest quis effici seruus, idque multis modis, vt statim dicemus. Patet ex Scriptura, Exodi 21. Leuit. 25. Deuter. 20. & 21. vbi variæ leges præscribuntur de variis seruitutum generibus. & Apollolus 1. Cor. 7. *Seruus vocatus es? non sit tibi cura.* Vnde constat, etiam Christianos posse esse seruos, non solum gentiliū, sed etiam Christianorum; de quo vide Gratianum dist. 54. vbi habet multa decreta de seruis Christianis.

56 *Seruius quo modo contra naturam.* Dices, Seruitus est contra naturam; ergo. Respondeo, Non est ita contra naturam vt sit contra rectam rationem vel præceptum naturale; sed dicitur esse contra naturam, quia est contra primam naturam conditionem, secundum quam cum omnes essent recti & sine peccato, iniquum fuisset si alter alterum seruituti subiecisset. nunc autem, supposito peccato, est secundum rationem: sicut vti pharmaciis, & cruciatibus afficere homines, est contra primam naturam constitutionem; non autem est contra rationem, supposito morbo vel peccato. docet hoc D. August. lib. 19. de Ciuit. cap. 15. *Rationalem factum ad imaginem suam noluit nisi irrationalibus dominari; non hominem homini, sed hominem pecori. conditio quippe seruitutis, iure intelligitur imposta peccatori.* Proinde nisi quam Scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabulo Noè iustus peccatum filij vindicaret. nomen itaque istud culpa meruit non natura, &c.

Dico Secundò, Neque Princeps, neque etiam Respublica est dominus vite suorum subditorum, vel seruorum. Sequitur ex dictis, & Confir. Primò, Exodi 21. *Qui percussit virga seruum vel ancillam, & in manibus eius mortui fuerint, criminis reus erit: nempe homicidij.* Secundò, Proprium veri dominij est, rem pro arbitratu suo posse perimere, etiã voluptatis causâ: atqui solus Deus pro arbitrio potest interficere etiam innocentes, non autem Respub. ergo Respub. non habet dominium in vitâ hominis. Tertio, Nemo est dominus suorum membrorum, sed solum custos, & gubernator, vt ostensum est: atqui quisque priuatus se habet ad Rempub. vt membrum & pars, ex qua vnâ cum aliis partibus ipsa veluti vnum corpus constat: ergo non habet dominium in priuatis.

Nec obstat quod Principes possint interficere malefactores, & exponere subditorum vitam in bello: quia id faciunt non vt illorum domini: sed vt custodes tranquillitatis & boni publici: sicut homo vt custos vite suæ resecat membrum putridum, & exponit partem pro salute totius.

D V B I T A T I O X I.

Utrum homo sit dominus suæ fame, & honoris.

59 *Homo fama sua dominus.* Aiet. infra q. 73. ar. 2. negat. cum enim fama sit bonum medium inter vitam & res externas, potius centet eam collocandam cum vita, cuius domini non sumus, quam cum rebus externis, quarum domini sumus. Idem videtur sentire Siluester ver. Detractio q. 3.

Sed dicendum est, hominem esse verè dominum fame suæ, sicut rerum externarum. colligitur ex D. Th. infra q. 64. art. 5. ad 3. vbi docet, *Hominem licite posse disponere de seipso, quantum ad ea que pertinent ad hanc vitam; sed transire de hac vita ad aliam non subiacere libero eius arbitrio.* & cla-

D V B I T A T I O X.

Utrum homo sit dominus vitæ suæ & membrorum.

57 *Homo vita sua dominus.* Resp. & Dico Primò, Hominem non esse dominum, sed solum custodem vitæ suæ membrorumque, & quasi vsuarius: dominium verò

& clarius q.73.a.4.ad 1. vbi docet, in cuiusque arbitrio esse pati detrimentum suae fama, nisi hoc verget in detrimentum aliorum. Idem docet Sotus libro 4. de Iustitia q.2.a.3. & Adrian.in 4. quaest. de restitutione, circa finem. Couar. l.2. variarum c.2. num.8.& alij recentiores.

Probatur Primò, quia homo famam & honorem, post vitam diuinitus acceptam, sibi acquirit & auget, sicut res ceteras: ergo est illius dominus vt ceterarum.

Secundò, Quia nisi esset dominus, non posset eius restitutionem condonare: (nemo enim condonare potest quod non est suum) atqui certum est posse condonare eius restitutionem. Nec obstat (quod contra hanc rationem obiicit Adrian.) quòd possimus condonare mutilatione membri, cuius tamè non sumus domini: quia si membrum posset restitui sicut fama, non possemus condonare. quòd igitur condonamus, est satisfactio pro illata iniuria, & restitutio pecuniaria pro damno secuto: non autem propriè restitutio membri.

Tertiò, quia in multis casibus possumus nos in famam. Primò, ad petendum consilium. Secundò, ad nostri humiliationem, sicut Iatro ille apud Climacum Gradu 4: qui publicè grauissima crimina confessus est. Tertiò, ad vitandum peccatum superbiae vel aliud. Quartò, quando iniuste aliquem infamauimus, tenemur restituere ipsi famam, etiam cum nostra infamia, si opus est; atqui si non essemus famae domini, nihil horum liceret: sicut non licet seipsum occidere, mutilare, vulnerare, ob horum finium aliquem.

Contrà obiicitur Primò, Ecclesiastici 41. Curam habe de bono nomine, &c. ergo non licet famam negligere. Resp. Non licet eam negligere sine iusta ratione: hinc tamen non sequitur, hominem non esse eius dominum: quia etiam pecuniae sine iusta causa profundi non debent.

Obiicitur Secundò, D. August. lib. de Bono viduitatis cap. 22. dicit, conscientiam nostram esse necessariam nobis, famam proximis, ac proinde crudelem esse qui famam negligit.

Resp. Fama nostra tripliciter potest esse proximi necessaria. Primò, quando ex nostra fama ita pender, fama proximi, vt ex nostra infamia illius infamia sequatur: sicuti ex infamia Monachi sequitur infamia quaedam monasterij. Secundò, quando fama nostra est necessaria vt proximo prestemus officium ei stricto iure debitum, sicut fama personae publicae, Episcopi, Parochi, Abbat, necessaria est vt bene regat subditos. & in his duobus euentis, multorum iudicio contra Iustitiam peccat, qui se infamat: non quia praecise se ipsum fama priuat; sed quia ex consequenti proximo nocet, vel inferendo infamiam, vel se reddendo ineptum ad ei impendendum debitum officium. Tertiò, quando non ex officio, sed solum ex charitate proximo prodesse tenemur, & per infamiam ad hoc reddimur inepti; tunc solum contra charitatem peccat, qui se infamat: sicut contra charitatem peccat, qui pecuniam, qua pauperibus prodesse poterat, abiicit. Hæc de dominio vitæ & famae; cetera dicentur infra cap.9. de Homicidio. & cap.11. de Detractione.

60
Tripliciter fama nostra proximi necessaria.

C A P V T Q V I N T V M.

De modo acquirendi dominij in res, quæ vel nullius, vel communes sunt: vbi de mancipiis, venatione, piscatione, aucupio, thesauris.

Constat Dubitationibus 18.

D V B I T A T I O P R I M A.

Quomodo facta sit prima rerum diuisio seu distinctio dominiorum.

D V B I T A T I O I I.

Utrum hæc diuisio dominiorum licita fuerit, & commoda humano generi.

D. Thom. quaest. 66. art. 1. 2.

Resp. Post peccatum hæc dominiorum diuisio non solum fuit licita, sed etiam salutaris generi humano.

Quòd licita fuerit, est certò tenendum. Nam ex multis Scripturæ locis constat, licitè aliquid tamquam proprium possideri: & contrarium est hæresis quorundam, qui vocati sunt Apostolici, vt refert D. Aug. hæresi 40. & Epiphanius hæresi 61. qui asserbant hominè non posse saluari, nisi viueret

D 3 instat



Occupatio. Sortitio.

RESPONDEO, Hæc distinctio facta est partim occupatione, partim sortitione. hi enim sunt primi modi acquirendi dominij. Nam posteri Adæ in hunc mundum veluti in amplissimam domum opibus refertam venientes, vt quisque prior aliquid occupasset, ita quoque dominus illius efficiebatur. quòd si dubium erat vter prior occupasset, vel si ante occupationem plures ad idem aspirabant, sorte decidebatur. Similiter post diluuium, filij Noè alij aliam terræ partem, maxime post linguarum confusionem occupauere, vel sorte diuisere; vt patet Genes. 10. & 11. Deinde crescente genere humano, illæ partes multipliciter rursus, & propè in infinitum scetæ, diuisæ & distractæ sunt.